

Dicitur etiam Psalm. cxxxv: *Quod Deus firmavit terram super aquas*, et tamen aquæ nihil soliditatis habent. Ergo firmitas non solum dicitur de re dura, aut solida, sed etiam de forti, et non remissa, aut de valente retinere, et coercere aliam sive in se sit dura, et solida, sive tenuis, dummodo ad id habeat vim, sicut aer accipit a Deo in illa secunda regione vim ad condensandum nubes et vapores. Et panis dicitur firmamentum, Psalm. civ: *Omne firmamentum panis contrivit*. Et spiritus firmat cor, et panis cor hominis confirmat, et vinum exhilarat, et nihil istorum est corpus durum. Quare ex magna sinceritate procedunt, qui solo nomine firmamenti nituntur, ut negent esse aerem firmamentum, quod dividit inter aquas, et aquas. Quando autem dicitur quod posuit Deus stellas in firmamento, ipsa positio satis manifestat firmamentum illud esse stellatum, non aereum. Nec obstat quod D. Thomas in II, dist. xiv, q. 1, art. 1, dicit non convenire Scripturæ, quod nomine firmamenti intelligatur aer, quia dicuntur stellæ positæ in firmamento, nisi nomen firmamenti æquivoce sumatur. Respondetur enim hoc correxisse D. Thomam in hac quæstione ubi eandem sententiam affert, et omnino approbat.

QUÆSTIO LXIX.

DE OPERE TERTIE DIEI.

TEXTUS.

Dixit vero Deus congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum unum, et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam, terram, congregationesque aquarum

appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait: Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen sit in semetipso super terram. Et factum est ita.

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

I. Tres effectus, seu operationes narrat Scriptura factas hac tertia die, quæ pertinent ad opus distinctionis, et segregationis circa infima corpora mundi, quæ sunt aqua et terra. Primus effectus est congregatio aquarum in unum locum. Secundus est apparitio, seu discoopertio terræ, ejusque exsiccatio. Tertius, est germinatio herbæ, et arborum in terra sic discooperta, et apparense.

Antequam vero difficultates, seu dubitatiunculas, quæ circa istas operationes, et effectus hac tertia die factos excitari solent, proponamus, duo certiora præsupposita præmittenda sunt, quæ ad cætera explicanda sunt necessaria, nec in se tantam habent difficultatem.

DUO PRÆSUPPOSITA.

II. Primum est, quod ea corpora, circa quæ operatio, et distinctio hujus diei facta est, nempe terra et aqua, non sunt facta hac die quoad suam substantiam, sed aliqua solum accidentali mutatione quantum ad situm, et locum divisa. Secundum est, quod causa efficiens immediate istarum operationum, quæ hac die factæ sunt, fuit ipse Deus, prima et universalis causa rerum. Et quidem circa primum non potest esse difficultas suppositis his, quæ superius tractata sunt, licet non defuerint aliqui auctores, qui existimaverint hac die factum esse elementum

aquæ et terræ, etiam quoad substantiam, quia sic distribuunt productionem elementorum, quod ex illa nebula, seu tenui vapore, aut aqua, quam existimant primo die replevisse totum spatium a terra ad concavum lunæ, produxit Deus secunda die duo elementa superiora, scilicet aerem, et ignem, tertia vero die alia duo infima, scilicet terram et aquam in ea dispositione, in qua nunc sunt, vel saltem aquam in hac tertia die dicunt esse productam, nam de terra multi id non audent asserere propter expressum verbum Scripturæ dicentis: *Quod in principio creavit Deus cælum et terram.*

III. Cæterum hæc sententia nullatenus sustinenda est juxta principia supra declarata, et propter ipsa verba sacræ Scripturæ. Nam primo die dicitur: *Quod Deus creavit cælum, et terram*, et quod: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Nomine autem terræ intelligitur vera, et naturalis terra, quæ non est sola materia prima, hæc enim communis est terræ, et aquæ, et omni mixto, ad omnia enim est in potentia, ergo est materia cum forma substantiali terræ, alias non est terra, nec Scriptura aliquid certi nobis significaret, si nomine terræ non intelligeret, id quod vere, et in re terra est, et nomine cæli, id quod vere, et in re cælum est; ergo etiam nomine aquæ significare debet veram, et propriam aquam, non nebulam, aut aliquid aliud quod vera aqua non est. Ergo si primo die inveniuntur terra, et aqua, non sunt facta tertia die quoad substantiam, et veritatem, et naturam ipsam terræ et aquæ. Et præterea elementa ista solum per creationem fiunt, cum sint corpora simplicia, et consequenter prima inter corpora, ita quod alia fiunt ex ipsis, ipsa vero non fiunt ex aliis, ergo si quæ corpora fieri debent per crea-

tionem, sunt elementa. Creatio autem terminata est primo die, quando Deus creavit cælum, et terram, reliquis autem diebus fuerunt opera distinctionis, et ornatus, ergo terra, et aqua quoad substantiam prima die creata sunt, non tertia. Denique, verba Scripturæ in hac tertia die id ipsum significant, dixit enim Deus: *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum unum*, ergo supponebat aquas jam esse, dicendo: *Quæ sub cælo sunt*, non ergo tunc primo acceperunt esse. Et similiter de terra dicit: *Et appareat arida*. Apparere autem non est fieri quoad substantiam, sed quod occultum, et latens est, manifestari. Ergo verba Scripturæ in hac tertia die, scilicet congregari aquas et apparere terram, non nisi violentissime trahuntur, et explicantur de productione terræ, et aquæ; quoad substantiam et esse, sed manifeste supponuntur jam existisse.

IV. Secundum præsuppositum, scilicet Deum fuisse immediatam causam efficientem hujus congregationis aquarum, et discoopertionis terræ, atque germinationis arborum, et herbarum, manifestum est, tum ex Scriptura, tum ex ratione, et exclusione aliarum causarum ab isto opere. Ex Scriptura probatur, quia specialiter attribuit Deo hanc congregationem aquarum, et detentionem, ne terram inundent, indeque suam omnipotentiam maxime comprobatur, dicitur enim Job xxxviii: *Circumdedit illud (mare) terminis meis, et posui vectem, et ostia: Proverb. viii: Et legem ponebat aquis ne transirent fines suos: Psalm. cix: Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram: Jerem. v: Me ergo non timebitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum.* Et ratio hujus est, quia in tota natura etiam in Angelis non est potestas ad

immutandum ordinem, et dispositionem universi, qua ratione non possunt facere vacuum, nec poterunt diluvium universale inducere, nec enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, ut dicitur ad Hebræos II. Nam ordo, et dispositio totius universi, atque adeo immutatio unius integri elementi est finis principaliter a Deo intentus, inde enim dependet institutio recta, et conservatio hujus universi. Principalis autem finis alicujus artefacti semper reservatur supremo artifice, ergo alii inferiores cooperatores et causæ non habent potestatem immutandi ordinem totius universi, qualis esset si integrum elementum immutaretur, ratione cujus specialiter dicitur esse lex Dei, quam tota natura transgredi non potest. Nec dubitamus posse Deum uti actione alicujus creaturæ tamquam instrumento ad istas immutationes faciendas, sicut potest uti ad faciendam miracula, et producendam gratiam. Sed non constat nobis de facto voluisse uti hujusmodi instrumento; nec de instrumentali causa modo quæstio est, sed de virtute causæ secundæ ad id sufficienti.

V. Denique, ipse modus quo facta est ista congregatio aquarum, et terræ exsiccatio, atque herbæ germinatio, satis ostendunt fuisse operationem Dei. Nam solo verbo et imperio aquæ tantæ, brevissimo tempore, aut etiam subito congregatæ sunt, et terra exsiccata, et germinatio herbarum, et arborum facta est, scilicet una die. Non est autem causa naturalis quæ tam cito possit omnia ista facere, et præsertim solo verbo, et imperio. Et ulterius germinatio tot herbarum, et arborum una die fieri non potuit, neque a sole, quia nunc in tota efficacia, et virtute quam habet non potest nisi multis diebus, et mensibus herbam procreare, arboresque producere.

Nec ab Angelis, quia non possunt ipsi hæc facere nisi utendo seminibus, et applicando activa passivis. Illa autem tertia die nondum erant aliqua semina in terra ad ista germina producenda, sed terra erat inanis, et vacua, et tunc primo, scilicet tertia die semina ista facta sunt, ut constat ex textu: *Producat terra lignum faciens fructum, cujus semen sit in semetipso.* Quare etsi aliquæ actiones ex istis sigillatim, et partialiter sumptæ possent fieri ministerio Angelorum, et virtute solis, ut movere aquas ad locum illum, excavare partem terræ, et sol exsiccare terram, tamen omnes istas actiones simul, et tam brevi tempore, et solo verbo, nulla creatura potuit efficere. Nec audiendi sunt qui dicunt, hæc quidem die incæpisse aquas congregari, et terram discooperiri, et germinare, sed non esse consummatum totum illud opus hac die. Obstat enim textus Scripturæ dicens, quod dixit Deus: *Congregentur aquæ in unum, et appareat arida, et factum est ita: germinet terra herbam virentem, etc. et factum est ita.* E postquam narravit, quod terra protulit herbam, et arbores, et quod aridam appellavit terram, et congregationes aquarum maria, concludit dicens: *Quod factum est vespere, et mane dies tertius.* Ergo omnia ista opera in die tertia consummata sunt.

VI. Dices: Facto diluvio tota illa immensitas aquarum reducta est ad pristinum locum interventu causarum naturalium, dicitur enim Genes. VIII: *Quod adduxit Deum spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ;* et tamen illud erat integrum elementum, ergo bene possunt naturales causæ immutare ordinem, et dispositionem integri elementi. Similiter de mari rubro dicitur Exodi XIV: *Quod abstulit illud Dominus stante vento vehementi, et*

urente tota nocte, vertitque illud in sic cum; ergo illa immutatio, quia aquæ elevatæ sunt, ut murus, mediantibus causis secundis facta est. Respondetur ventum illum quem adduxit Dominus super terram, non potuisse totam aquam in suum locum pristinum revocare, sed solum imminuere. Unde dicitur: *Quod imminutæ sunt aquæ.* Ut autem aqua reverteretur in locum pristinum, additæ sunt aliæ causæ a Scriptura, scilicet: *Quod clausi sunt fontes abyssi, et cataractæ cæli, et reversæ sunt aquæ de terra euntes, et redeuntes, et ceperunt minui post centum quinquaginta dies.* Quare diminutio aquæ facta a vento, solum conduxit ad aliquam diminutionem, eamque tam lentam: quod vero aquæ irerent, et redirent, quod clauderentur fontes abyssi, et cataractæ cæli, non est factum a vento, sed a Deo. Ad illud de mari rubro, dicimus in primis, illud non contigisse circa integrum aquæ, sed circa brevissimum tractum linguæ maris rubri pro transitu filiorum Israel. Deinde, dicimus ibi fuisse duas actiones: alteram, elevare aquas in sublime quasi murum, et hoc non est factum a vento, sed a Deo, quia dicit textus: *Quod abstulit illud Dominus:* alteram, exsiccare fundum maris, ut transirent sine molestia filii Israel, et hoc factum est a vento vehementi, et urente.

CONGREGATIO AQUARUM QUA ACTIONE SIT FACTA, ET QUOMODO IN LOCUM UNUM.

VII. Hæc est prima operatio quæ narratur facta hac die dicente Deo: *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum unum.* Circa quam præsupponitur, terram fuisse sub illa aquarum mole, et undique circumdatam elemento vastissimo aquæ. Unde potuit fieri illa congre-

gatio triplici modo, seu actione. Primo, per elevationem, seu ascensum aquæ in locum unum, supponendo quod terra non excavabatur, ut in illam concavitatem descenderet aqua, sed quod manebat plana sicut ante, et aqua per elevationem congregabatur. Secundo, potuit fieri per descensum aquæ, supponendo, quod terra excavata fuit, et magnum quemdam hiatus aperuit, ubi oceanus, et reliqua maria nunc sunt; qua cavitate, et hiato facto, naturaliter aqua in illum se recepit, et congregata est, reliqua parte terræ discooperita: aut quod etiam præter illam cavitationem et locum ubi nunc est mare, multæ concavitates intra terram factæ sint, ubi magna aquarum congeries recepta est, imo sunt qui teneant, esse sub isto nostro mari, aliud mare, quod vocant abyssum magnam, cujus fontes sunt rupti ad inundationem terræ tempore diluvii. Tertio, potuit hoc fieri non per motum localem ascensus, vel descensus, sed per alterationem, scilicet per condensationem aquæ, supponendo quod aqua in principio erat valde rara, intra suam tamen speciem, sicut modo videmus unam aquam esse delicatioris altera, magisque tenuem. Per condensationem autem aqua illa minorem locum occupavit, et sic congregata est in unum, et apparuit arida. Omnes istos modos refert S. Thomas hic art. I ad II, et primum dicit esse probabilioris. Non tamen negat aliquid de aliis modis intervenisse, ut statim explicabimus.

VIII. Attamen patri Suarez non satisfacit iste modus dicendi libro II, cap. VI, num. V, idque plures alii sequuntur, quia inverisimile est, aquam in tantum cumulum, et sublimitatem ascendisse sicut ad illam congregationem in locum unum necessarium erat, præsertim si verum est majorem partem terræ esse dis-

coopertam, et siccata, quam aquis infusam, imo IV Esdræ VI dicitur, sex partes terræ fuisse siccatas, et in septima parte congregatas esse aquas. Sed quidquid de hoc fuerit, si mare per elevationem aquarum in unum locum secessit, et congregatum est, oportuit in magnum cumulum ascendisse, ut tanta congeries aquarum congregaretur relinquendo terram discoopertam. Hoc autem est contra naturam aquæ quæ fluida et gravis est, nec naturaliter ascendit in cumulum; non est autem verisimile, quod Deus ita violenter aquas perpetuo detineat, et oppositum aliquibus experimentis manifestaretur, cum tamen videamus oppositum, ut quod superficies maris superficiei littorum coæquatur, et alias terra multo altius ascendit cum non sit ubique plana, sed montibus, et collibus frequens, et ipsæ insulæ montes sunt e mari emergentes. Experientia etiam testatur, quod æquali vento stante non citius redeunt naves ad littus, quam recedunt, et altum tenent; in quo tamen esset, si mare a littore ascenderet, facilius enim descendit navis quam ascendit, ut patet in fluviorum decursu, et navigatione. Quas experientias, et alias afferunt Conimbricenses in meteoris, Molina in hoc tractatu de opere sex dierum, Cajetanus super cap. I. Genesis, Pererius, et alii qui eandem tenent sententiam.

IX. Nihilominus sententia D. Thomæ probabilior apparet, si diligenter inspicatur, et ponderentur ejus verba. Nam in illa solutione ad primum dicit, quod hoc potuit fieri uno modo, ut aquæ sint elevatae in majorem altitudinem in loco, ubi congregatae sunt. Quis autem fuerit iste locus, ubi aquæ congregatae sunt, an ipsa plana superficies terræ, an aliqua concavitas terræ, ubi et aquæ congregarentur; ita tamen quod ipsa

etiam congregatione aliquantulum eleventur, qua non potuerunt totum illum locum sine aliqua elevatione occupare, S. Thomas non explicat. Postea vero cum in tertio modo dicit, quod terra potuit aliquas partes concavas præbere quibus aquæ confluentes reciperentur, non loquitur doctor sanctus de concavitate solum loci illius in quo congregatae sunt aquæ, et modo est oceanus, sed de aliis concavitatibus subter terram, in quibus multi dicunt confluisse magnam aquarum vim, imo, et mare alterum esse subter terram. Hoc non reputat D. Thomas ita probabile sicut id primum, præsertim in illa prima congregatione aquarum. Quod autem in loco in quo aquæ congregatae sunt, et paululum in cumulum elevatae, non fuerit aliqua concavitas facta, in qua aquæ congregarentur, nec D. Thomas negat, nec modo negari potest; addit tamen D. Thomas fuisse aquam illam in illo loco congregatam, etiam aliquantulum elevatam, et hoc verissimum existimamus; in quo secutus est D. Basilium homilia IV in hexameron, Augustinum II de Genesi ad litteram, cap. I. Et D. Thomam plures alii sequuntur, qui videri possunt apud Bagnèz hic dubio II et Suarez, loco citato. Et sic prius est explicanda hæc sententia, deinde probanda.

X. Igitur in sententia D. Thomæ non potest negari, neque quod aliquæ partes terræ sunt altiores aliquibus partibus maris, neque quod in mari sit profunditas multa in qua quasi in cavitate terræ sit aqua recepta. Utrumque ita patet ad oculum experientia, ut nullo modo possit negari. Nam in terra sunt plures montes etiam prope mare, et eminentes situs, quos altiores esse mari, id est, illis partibus maris, quæ prope littus sunt, ipsis oculis videmus. Et insulæ extra mare eminentes,

quid aliud sunt quam montes, et altitudines terræ e fundo maris supra ipsum mare elevatae. Et ista omnia sunt partes quædam terræ comparatae cum partibus quibusdam maris. Similiter in littoribus maris apparet manifeste, quod superficies maris attingit superficiem littoris, et paulatim in profunditatem magnam descendit, ita ut fundum attingere nisi magna bolide non possumus; quod sane sine aliqua magna profunditate, et cavitate omnino fieri non potest, nec enim aliter a littore tam proximo posset in tanta profunditate mare consistere, nisi magna concavitas terræ ibi esset, quæ ulterius continuatur per altum mare, ut patet dimittentibus bolidem, et profundum maris investigantibus. Et ex ipsa natura rei, aqua præsertim tantæ vastitatis terræ incumbens, et per tot annos, non potest non efficere magnas cavitates, cum aqua naturaliter consumat, et excavet multum de terra per quam decurrit, ut in fluviis quotidie experimur. Hæc duo sunt certa, nec in sententia D. Thomæ negari possunt.

XI. Quod addit sententia D. Thomæ et in quo ejus sensum probabilior sentimus est, quod in illa prima aquarum congregatione non fuit ita excavata terra, ut in ea tota aqua conflueret manendo depressior, aut æqualis ex omni parte cum superficie plana terræ, sed quod ita congregata est in illum hiatum, seu excavationem terræ, quod necesse fuit mare ipsum paululum intumescere, et elevari, ita ut in alto, aut medio pelagi, aqua manserit altior terra, et hæc elevatio ita fit paulatim a terra, ut quasi insensibilis videatur.

XII. Ratio vero et fundamentum, quod ad id cogit est, quia si tanta excavatio terræ fieret in ipsa prima congregatione aquarum, quod tota

illa aquarum congeries potuit in ea capi manente superficie aquæ æquali, vel depressiori cum superficie plana terræ, quid factum est de illa vastitate terræ, quæ effossa est, vel excavata ut fieret tam magnus hiatus, aut concavitas terræ? Supponimus enim esse illam profunditatem, aut in dimidia, aut fere dimidia parte terræ, cum oceanus undique terram cingit cum reliquis maribus, ita ut vix dimidia pars terræ maneat discooperta, ut constat ex talibus geographicis et hydrographicis, vel enim tantus hiatus, et concavitas facta est comprimendo, et condensando partes terræ in se, aut versus centrum, vel extrahendo illam terram super ipsam superficiem terræ, et eam altiore faciendo, vel in montes distribuendo, vel annihilando, aut resolvendo in aliud corpus. Hoc ultimum dici non potest juxta principia supra posita, quia magnum inconveniens est Deum in prima institutione rerum fecisse aliquid ut statim destrueret, vel totaliter, vel in magna sui parte, cum posset rem illam creare sine eo, quod destruendum erat. Primum etiam non est conveniens, nam tanta condensatio, et constipatio partium terræ, non videtur ei connaturalis, deberet enim esse valde magna, quia hiatus ille, et concavitas vastissima est, et ita si sola condensatione terræ debere fieri, compressio, et condensatio resultans esset valde excessiva, et sic præternaturalis ipsi elemento terræ, eamque minus habilem redderet ad recipiendas influentias cœli, pro his quæ intra terram gignuntur, et pro agricultura, redderet enim illam quasi lapidem. Imo videmus quod terra quæ nimis stringitur, et addensatur gelu, nihil virens gignit, ut experimento comprobatum est in tractu septentrionalis insulæ novæ Zemblæ ad elevationem septuaginta quatuor